prono nihil. Theophraſtus celeriùs cócoqui dextri lateris incubitu, difficilius à ſupinis. Perfundere caput aqua calida ante balnearum vaporationem, & poſtea † frigida, ſaluberrimum intelligitur. Item præſumere cibis, & interponere † frigidam, eiuſdemq́ potu ſomnos antecedere, & ſi libeat interrumpere. Notãdum, nullum aliud animal præter hominem, calidos potus ſequi, ideoq́ non eſſe naturales. Mero ante ſomnos colluere ora, propter halitus: frigida aqua matutinis impari numero (*ſuperſtitioſum hoc*) ad cauendum dentium dolores: poſca oculos contra lippitudines, certa ſunt experimenta: ſicut totius corporis valetudini varietate victus inobſeruata. Multò vtiliſsima eſt temperantia in cibis.

† Frigidæ vſus tum extra tum intra corpus, apud nos præſertim, & nõ aſſuetis, minùs conuenit: niſi remedij gratia forté.

¶ Ebrioſi & vino dediti homines Solem orientem non vident, ac minus diu viuunt, Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum vlcera: tremulæ